

*Si nihil significat, quod percussa PETRA aqua profluxit, cum dicat Apostolus, Petra autem erat CHRISTUS. Si ergo illa nihil significant quamvis sint gesta, si nihil deniq; significant DUO FILII ABRAHÆ, nati secundum ordinem nascendi hominum, & tamen ipsos duos filios duo testamenta appellat Apostolus, vetus & novum, & dicit. Hæc sunt duo testamenta, quæ sunt in allegoria. Si ergo illa nihil significant, quæ videtis AVTHORITATE APOSTOLICA in MYSTERIO futurarum rerum gesta esse, debemus arbitrari, nihil significare, etiam hoc, quod vobis ex libro Regnorum de David paulo ante narravimus.*

§. XIV. Respondetur. Rem gestam, quæ descripta est 1. Sam. XXI. & insinuata in Titulo Psalmi XXXIV. nihil significare, nemo dixerit. Quid autem res illa gesta significaverit, quid per eam nos docere voluerit DEUS, uberrime exposuit Psalmus ipse trigesimus quartus totus. Quæro, quo fine, in quem usum scripta illa historia est? Titulus Psalmi respondet, hic habes quid tibi voluerit DEUS per rem istam gestam, & ita scriptam, uti est scripta, significare. Deinde, doctrinam illam Psalmi, etiam ad Christianos in Testamento novo pertinere, docuit Petrus Apostolus ipse 1. Petr. III, 10. 11. 12. Totum Christum, in Psalmorum Enarrationibus, ipse Augustinus sæpius dixit, Caput esse cum suis membris. Ita ad CHRISTUM id etiam refertur, quod ad Christianos informandos, confirmandosque pertinet, ut membra CHRISTI. Imagines rerum futurarum, etiam imagines sunt beneficiorum DEI, liberationum DEI, pietatis, fiduciæ, timoris, spei, cultus.

§. XV. Id volunt loca Apostolica. Dixit Apostolus 1. Corinth. X, 5. *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est DEO: nam prostrati sunt in deserto.* Quod sic gestum fuit, significavit utique aliquid. Ideo pergit Apostolus, docens utrumque, scilicet, & quod res istæ sic gestæ & descriptæ, significaverint aliquid; deinde etiam, quid eæ significaverint. Quod aliquid significaverint, Apostolus asserit vers. 6. *Hæc autem FIGURÆ NOSTRÆ fuerunt.* Quid ergo figurarunt nobis? Sequitur: *Vt non simus concupiscentes malorum.* Hoc ergo figuratum est. Quæ vero figuræ cum figurato con-

B

jun-